

I. LITTERAE UNIVERSALES CONTRIBUTIONUM PUBLICARUM IN CONVENTU PIOTRCOUIENSI GENERALI DECRETARUM^a

Sigismundus etc.^b Universis et singulis ecclesiasticis et saecularibus consiliariis regni nostri ceterisque subditis nostris quibuscumque tam terrestribus quam civitatum et oppidorum honoribus et officiis insignitis, ad quorum notitiam praesentes litterae nostrae pervenerint et praesertim in palatinatu^c et districtibus eius consistentibus, sincere et fidelibus^d dilectis, gratiam regiam. Reverendissimi ac reverendi in Christo patres, nec non magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere et fideles nobis dilecti. Cum videamus regnum nostrum propter vim et impetum hostium, poene quotannis praedas et depopulationes in eo agentium, ad eam usque necessitatem devenisse, ut quolibet quoque anno communi consilio ad arcendos homines ipsos a finibus iam attritis et depopulatis indigeat, statueramus conventum generalem in Piotrków pro die festo sanctorum Trium Regum proximo [6 I 1534] commiseramusque, ut in eodem conventu constitueretur per praelatos, procures et consiliarios regni terrarumque nuntios ad annum praesentem talis defensio, quae oportuna et sufficiens videretur. Tandem in eo ipso conventu unanimi omnium consensu et decreto sunt infrascriptae contributiones ad annum praesentem institutae, quas nos ratas et gratas habentes, omnibus in universum denuntiamus et declaramus.

In primis decretum est, quod coloni seu kmethones tam villarum nostrarum regalium quam omnium spiritualium et saecularium subditorum nostrorum in toto regno nostro de singulo manso seu laneo possessionato duodecim grossos, de medio vero manso seu laneo sex grossos, de quarta parte lanei tres grossos et reliquum de quantitate laneorum secundum antiquas quietantias ad duas temporum ratas infrascriptas solvent, octo grossos videlicet pro dominica Iudica [22 III 1534], a qua solutio illorum inchoari^e et ad dominicam Conductus Paschae [12 IV 1534] in totum per omnes terminari et finire debet et quattuor grossos pro festo sancti Bartholomei proxime futuro [24 VIII 1534].

Nobiles vero, qui colonos seu kmethones non habent, solvet quilibet eorum de quolibet laneo seu manso octo grossos duntaxat pro utraque rata praedicta, quattuor grossos videlicet pro prima rata praedicta et alios quattuor pro secunda rata, hoc est pro festo sancti Bartholomei proxime futuro. Illi vero nobiles, qui praedia et non laneos habent, computatis istiusmodi praediis in laneos seu mansos, solvent^f pro utraque rata de quolibet laneo seu manso octo grossos, de medio laneo seu manso quattuor grossos, de quarta parte^g lanei seu mansi duos grossos et reliquum de quantitate laneorum. Ubi autem duo, tres aut quattuor pauperes nobiles unum laneum colunt, solvent omnes simul de huiusmodi uno laneo etiam pro utraque rata octo grossos, alias quisque illorum solvet secundum quantitatem agri et portionem lanei seu mansi, medietatem videlicet pro prima rata, incipiendo solutionem illius a dominica Iudica proxima usque ad dominicam Conductus Paschae et aliam medietatem pro festo sancti Bartholomei proximo. Similiter advocati et sculteti, non habentes colonos seu kmethones, solvent de suis laneis seu mansis per octo grossos, advocati vero seu sculteti, kmethones habentes, nil solvent, verum ipsi kmethones eorum id, quod kmethones dominorum ac nobilium contribuent, hoc est de quolibet laneo duodecim grossos ad duas ratas temporum suprascriptas.

Item civitates et oppida tam nostra regia quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium in toto regno exactionem civilem, quam *schos* vocant, unam duntaxat integram iuxta antiquas quietantias solvent et contribuent, cuius quidem exactionis civilis medietas una solvi debet pro prima rata suprascripta, hoc est incipiendo solutionem a dominica Iudica usque ad dominicam Conductus Paschae, alia vero medietas eiusdem exactionis civilis contribui debet pro die festo sancti Bartholomei proximo.

Quae autem civitates et oppida libertatem habent a civili exactione, nihil contribuent. Idem de

^a Tekst niniejszy oparty jest na rękopisie MK, t. 49, k. 56-59 v. z uwzględnieniem odmiennych lekcji zawartych w edycji AT, t. XVI/1, nr 128, s. 251-256. ^b AT rozwija: Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et haeres. ^c W rękopisie MK pozostawiono puste miejsce. ^d AT dodaje: nobis.

^e inchoari AT. ^f solverint AT. ^g W rękopisie MK pominięte; uzupełnił wydawca AT.

villis vastatis, exustis et libertatem habentibus, quae non solvunt censum dominis suis, est intelligendum. Ita quod incolae huiusmodi villarum liberi sint et esse debeant a solutione contributionis in praesenti conventu institutae. Item contributio cerevisiae, vini, medonis, malmatici, muscatelli, *czopowe* dicta, in hisdem civitatibus et oppidis ac etiam tabernis villarum, tam nostris quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium, incipiendo a festo Annuntiationis sanctae Mariae proximo [25 III 1534] ad integrum annum a singulis cerevisiae cocturis more solito solvetur, ex quibuscumque braseis fuerit eadem cerevisia cocta, sive brasea ipsa sint civium et dominorum ex molendinis provenientia et emensurata sive domi facta. Item etiam a cerevisia, quam domini et nobiles ex braseis suis coquunt seu braxant et illam dant ad propinandum suis tabernatoribus, ab eadem cerevisia exactionem ducillorum ipsi tabernatores et quisque eorum per sex grossos solvet. Ac etiam a cerevisia externa, quae de externis regionibus et ducatibus, nobis et regno nostro non subiectis, ad ipsum regnum nostrum ducitur, ut Swydnicensi, Theschnensi, Bernoviensi, Glogoviensi et alia quacumque, contributio ipsa *czopowe* solvatur, qui vero nobiles subditi nostri pro sua domestica necessitate et usu proprio coqui faciunt cerevisiam in civitatibus et oppidis, contributionem *czopowe* ab illa non solvent. Si autem illam ad propinandum suis aut alienis tabernatoribus dederint, ab illa contributionem *czopowe* tabernatores ipsi solvere tenebuntur.

Item tabernatores hereditarii, sive sint dominorum, sive advocatorum, sive scultetorum, qui agros habent, ab illis contributionem solvent iuxta agrorum quantitatem, hoc est de singulo laneo seu manso pro prima rata praedicta octo grossos, de medio laneo seu manso quattuor grossos et reliquum de quantitate laneorum. Pro secunda vero rata solvent de quolibet manso quattuor grossos, de medio manso duos grossos, exactionem vero ducillorum a singulis cocturis cerevisiae more consueto solvere nihilominus erunt astricti.

Alli autem tabernatores manuales, qui advectitiam propinant cerevisiam, sex grossos semel ad duas temporum ratas superscriptas solvere debent, et hii contributionem *czopowe* non solvent, cum non coquant cerevisiam, sed aliunde illam ad propinandum abducunt.

Item molendina omnium villarum tamstrarum quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium, quae *poysrzebne* vocantur, manuales seu anniversarios molendinatores habentia, ex singulis rotis sex grossos solvent, quae vero molendina deserta sunt et in eis frumenta non moluntur, illa seu illorum molendinatores nihil solvent. Hereditarii vero molendinatores dictarum villarum et *folusche* ex singulis rotis molendinorum suorum, quae *walne* dicuntur, duodecim grossos persolvent ad ratas temporum superscriptas, videlicet octo grossos pro prima et quattuor grossos pro ultima ratas.

Item molendina brasealia et hereditaria, aquatica et equestria, in omnibus civitatibus et oppidis more^h veteri taxata, contributionem unam integram, quae *schosz* dicitur, solvent, medietatem videlicet pro prima rata praedicta, incipiendo solutionem eius a dominica Iudica usque ad dominicam Conductus Paschae, et alteram medietatem pro die festo sancti Bartholomei proximo. Et similiter illa molendina, quorum tertias mensuras tenutarii bonorum nostrorum regalium exemerunt et illas a se exemptas seu in summis pecuniarum obligatas tenent ad usum et utilitatem suam, solvent contributionem, quae *schoss* dicitur, sicut reliqua omnia molendina in regno seu illorum molendinatores eam solvere solent, contraria consuetudine, quae corruptela potius dici debet, penitus non obstante. Quorum autem molendinorum nostrorum tertiam mensuram capitanei nostri de mandato nostro et pecuniis nostris redemerunt ad nostram utilitatem, ex illa nihil solvi debebit.

Minerariae vero officinae, alias ferrum facientes et serrae hereditariae ex singulis rotis octo grossos solvent, annalesⁱ autem officinae minerariae et similiter annales serrae, hoc est locatae seu conductitiae a qualibet rota sex grossos, medietatem videlicet pro prima rata et aliam medietatem pro secunda rata. Item molendina ventilia hereditaria octo grossos. Illa vero ventilia molendina, quae anniversarios molendinatores habent, sex grossos solvent ad ratas duas temporum supradictas, incipiendo videlicet solutionem primae ratae a dominica Iudica usque ad dominicam Conductus Paschae et aliam medietatem pro festo sancti Bartholomei proximo.

^h modo AT. ⁱ Tu i poniżej: annuales AT.

Item sacerdotes Rutheni, qui popones vocantur, ex singulis ecclesiis et synagogis suis mediam sexagenam grossorum solvent, prothopopones vero alias *namyesthniczy* per duos florenos in moneta solvent.

Item Valachiⁱ ex singulis laneis integris, si illos habent, vel areis, quae *dworzissza* dicuntur, sex grossos solvent. Et qui agros non habent, a singulo centenario ovium similiter sex grossos persolvent, tres videlicet pro prima et reliquos tres grossos pro secunda ratis, superius expressis^k

Ut autem supradicta ordinatio in exigendis contributionibus facta debitae executioni demandetur in^l et districtibus eius generosum^m exactorum constituimus et designavimus praesentibusque litteris nostris designamus et mandamus, ut in manus eius pro designatis temporibus easem contributiones persolvere curetis.

Vobis vero capitaneis, quorum interest, mandamus, ut praefato exactori nostro pro ratis et temporibus superius expressis sub poenis ad hoc constitutis absque cuiusvis morae et dilationis interventu de dictis contributionibus per eos, ad quos pertinet, responderi faciatis et vos ipsi respondeatis, negligentes vero in solvendo et contumaces per pignorationes et alias poenas solitas ad solvendum eosdum contributiones compellatis. Pro officio vestro et gratia nostra facturi.

Datum Vilnae, sabbato ante dominicam Reminiscere anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo quarto [28 II 1534], regni nostri anno vigesimo octavo. Adⁿ mandatum proprium Regiae Maiestatis.

II. ^aLITTERAE UNIVERSALES DUCILLORUM^a

Sigismundus etc. Universis et singulis principibus tam spiritualibus quam saecularibus, reverendissimis et reverendis in Christo patribus, dominis archiepiscopis, episcopis necnon magnificis, generosis, nobilibus, famatis et providis, palatinis, castellanis, capitaneis, terrigenis, nobilibus, officialibus et eorum vicesgerentibus, heredibus, advocatis, scultetis civitatumque et oppidorum tam nostrorum quam quorumcumque subditorum nostrorum magistris civium, consulibus et communitatibus et generaliter omnibus subditis nostris spiritualibus et saecularibus cuiuscumque status, conditionis et praecminentiae existentibus, bona quaecumque tam spiritualia quam saecularia, civitates, oppida, villas, tabernas, possessiones et alia bona quocumque nomine nuncupata habentibus et signanter in terra^b et districtibus eius existentibus sincere et fidelibus nostris dilectis, salutem et gratiam nostram regiam.

Sincere et fideles dilecti. Noveritis communi omnium tam spiritualium quam saecularium consiliariorum nostrorum et nuntiorum terrestrium, in conventu generali Piotrkouiensi proxime praeterito congregatorum, voto et concordii voluntate exactionem ducillorum, quae *czopowe* dicitur, multis et arduis necessitatibus reipublicae ita exigentibus, decretam esse, quae inchoari^c debet a festo^d Annuntiationis sanctae Mariae proximo [25 III 1534] et continuari per integrum annum ad aliud festum Annuntiationis sanctae Mariae inclusive anni Domini millesimi quingentesimi trigesimi quinti. Exigetur autem et solvi ac exigi debebit eadem ipsa contributio ducillorum secundum antiquam consuetudinem, modo videlicet infrascripto ut quilibet cerevisiam

ⁱ W rękopisie MK i w AT: Vlachi. ^k W AT, z rękopisu zawartego w Tekach Górskiego, t. 2207 (B. Nar.), gdzie zresztą występuje pierwotna wysokość poboru 16 groszy od lana, później obniżona do 12 groszy, dodany został następujący tekst, nie znany MK: Item Iudaei omnium terrarum regni nostri tam de singulis mansionibus alias *od hrynthv* quascunque inhabitant, quam etiam de omni re pecuniaria et mercantiis quascunque et ubicumque habuerint eandem, a qualibet marca per grossos duos solvant et contribuent. ^l Pozostawiono w MK wolne miejsce. ^m Pozostawiono w MK wolne miejsce. ⁿ W miejsce tego zdania, którego brak w rękopisie zawartym w Tekach Górskiego, występują własnoręczne podpisy następujących senatorów: Mathias archiepiscopus manu propria ss.; Ioannes episcopus Poznaniensis ss.; Andreas episcopus Plocensis; Ioannes comes de Tanczin palatinus Podoliae; Lucas de Gorka ss.; Petrus Kmitha comes in Wisznice ss.; Stanislaus Odrowaz de Sprowa ss.

^{a-a} W AT tytuł brzmi: Litterae universales contributionis ducillorum. ^b W rękopisie MK pozostawione puste miejsce.

^c inchoari AT, ^d W rękopisie MK omyłkowo: gesto.